

illi rationibus humanis et auctoritatibus apparentiam causantibus innixi sunt, iste vero utrisque carens contra omnium sanctorum intencionem quasdam auctoritates ad suum sensum, non spiritus sancti intellectum, retorquet. Excedit autem priscos hereticos, quia illi diversis temporibus et diversis modis diversas hereses sompniant, hic autem quasi omnium simul heresiarcharum supremus omnes eorum hereses in unam generalem heresim conpinxit et quasi ex diversis ydolis unum commune ydolum, ex diversis monstris unum monstrum, et quasi ex diversis convenenatis herbis unum commune toxicum confecit. Idcirco ego, suos errores confutare ac veram fidem elucidare volens, collegi et fidei documenta comportavi, quibus suorum heresum falsitas panditur.

Mitto igitur vestre graciousissime dominacioni presens opusculum ad corrigendum et emendandum, eciam ad legendum contra tedium, ut senciatur vestra prudencia, quam iuste sit contra eum late sententia condempnacionis, ut eius deleatur de mentibus fidelium memoria. Sic enim procures fecerunt gentilium, qui humanam venerantes gloriam generose diversa monstrorum genera deleverunt, ut Hercules Anthemum, Theseus Minothaurum, Iason thaurum ignovomum, Meleager inestimabilem aprum, Cerebus Stigiale monstrum, Perseus marinum portentum; sic et ego abolere cupiens de terra vivencium monstruosas huius lolhardi hereses subscriptas collegi ex sentenciis variorum sanctorum doctrinas, quas queso acceptare dignetur gratiose (?) generosa caritas.

Scriptum Maguncie, 1458^o, mensis octobris, die 20^a.